




Das Gründungs Buch

Nr. 59. 2.

6

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
IOBO PATIENTIAM
ET CHRISTVM PRAEDICANTE

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINIS
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO FRIDERICO
CAROLO ALEXANDRO
MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE SILESIAEQVE
DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI VTRIVSQVE
PRINCIPATVS REL. REL.

CONSENTIENTE AMPLISSIMO
PHILOSOPHORVM ORDINE
PRO LOCO INTER EOS OBTINENDO 
PVBLICE PROPONIT
AVGVSTVS FRIDERICVS PFEIFFER
PHIL. ET. L. L. A. A. D. BIBLIOTH. ACAD. CVSTOS.

ERLANGAE
TYPIS WALTHERIANIS.

DISSECTATIO THEOLOGICA

IOHANNES PAULUS
ET CHRISTIUM PR...

IN...
...
...

CHRISTIANO FRIDERICO
IOHANNI ALEXANDRO

...
...

AVGVSTVS FRIDERICVS
...

...





Librum in sacris sub nomine Iobi venientem, eiusque scopum et de Christo doctrinam tangit commentatio haec. Constitueram animo de aethetica Iobi pulchritudine agere. Praeterire vero non posse me argumentum libri videbam. Cumque arduam hanc materiam putarem non intermiscendam aliis, primo eam adgressus sum, viam ad reliqua mihi pandentem. De auctore quidem libri, stilo, primo idiomate aliisque momentis tantum abest vt loquar, vt potius limites pagellarum silentium mihi imponant. Neque vero ad rem faciunt hic proponendam, quae de auctore et libro ipso statuas. Moralis fictio fit, vt il. IOH. DAV. MICHAELI (*) placet, aut minus, vt rectius olim IOH. HENR. MICHAELIS (**) aliis praeuntibus docuit, non magni interest, cum de scopo eius, Christum respici et in ipso libro celebrari non prohibente, agere instituerim. Nec indignum alias, nec profanum est, per fictiones reuelatam de saluatore doctrinam nobis proponi. Sed in quorundam Virorum C. C. assertis recentioribus non vacillare solum scopi constitutio; sed toti etiam diuinius Scripturae complexui refragari, mihi quidem videtur.

A 2

Est

(*) in praef. versioni teutonicae libri praemissa, vt et in Epimetr. ad Lowthi Poes. S. Ebr. p. 662.

(**) Annot. vberior. in Hagiographa vol. II. praef. in Iob. p. 5. sqq.

Est scilicet vnicuique libro Scripturae S. specialis scopus, generali semper subordinandus, cuius quidem constitutio pro diuersitate Scriptorum diueria euadit. Generalem vero sic didicimus enarrare, quod in eo manifestatio satisfactoris nostri cum illustratione perfectionum diuinarum et salute hominum connexa sit; proinde tota Scriptura simul ad perfectionum diuinarum gloriam et salutem hominum tendere censenda est. Particularis libri Iobi scopus diuersus, vt interpretibus placuit, constitutus est; quae tamen afferunt omnia facile coniungi potuissent, attentione praesertim ad id facta, quod totus in consignatione liber alium possit habere scopum et argumentum, ac pars tantum in se spectata, quae metrica accentuatione munita, poema constituit. Nec iuuat plures hic adduxisse, cum, quae olim acta sunt, alii referant, nouissime vero iustitiam diuinam non hoc sed altero demum saeculo exercendam, scopum esse traditum sit (*). Ratione carerem, si id plane negarem in libro doceri; docetur omnino, sed non ideo thema constituendum orationi est. Quis quaeso, disertio Flechier in panegyrico laudibus Turreni dicto thema fortitudinem constituerit, quia saepius de ea dixit, eamque pulere descripsit?

(*) aut vt il. MICHAELIS (quamquam Laicum se appella-
uerit, Tellerum cl. autorem esse
crediderim), in quibus, iustiti-
am diuinam hac durante vita se
exferentem non in futura demum,
Iobi librum demonstrare, affirma-
tur. Nihil vero addam, neque
me aliorum, immiscebo certami-
nibus. Ambae in libro Iobi oc-
currere possunt propositiones et
occurrunt; scilicet si non hoc,
certe altero saeculo, pios felices
futuros esse.

*Mach deinen Raupenstand und ei-
nen Tropfen Zeit*

*Den nicht zum letzten Ziel, die
nicht zur Ewigkeit.*

Haud ita pridem etiam litterae
quaedam publici iuris factae sunt,
inscriptae: *Schreiben an einen
Freund die Uebersetzung des Bu-
ches Iobis vom Herrn Hofrath
Michaelis betreffend. Berlin 1770.*

psit? Multa sunt huic constituto scopo plane non subordinanda, et alium prorsus Deus ipse innuere videtur scopum cap. XXXVIII. XXXIX. XL. Iobum enim ipsum et amicos eius minus recte de ipso iudicasse ostendens, inopiamque et imbecillitatem humanam ex suprema potentia diuina et providentia ad omnia se extendente animalia terrae cognoscendam tradens, sic priorem finivit allocutionem: **הוֹב עַם-שְׂרִי יִסּוּר כּוֹכְבֵי אֱלֹהִים יַעֲנֶנּוּ** (*) *Satisne apud omnipotentem castigationis? Redargutor Dei respondeat ad haec.* Nec aliam tangit chordam Iobi responsio: *En vilis sum quid responsurum tibi? manum meam appono ad os meum!* agnosco me errasse; non intellexisse sapientiam tuam in salute hominis constituenda; tacebo, patienter feram. Nihil nisi patientiam indigitant hae orationes, vt et exordium alterius Dei orationis: *Accinge nunc vt vir lumbos tuos, quod interrogabo te notum fac mihi* (vias meas tentationum, sanctis calcandas nostine? nostine quanta mihi potentia sit, ex tentationibus

A 3

nibus

(*) Rectius videntur illi statuere qui **יִסּוּר** e voce **יָסַר** ad formam dagefchatam intensiuam neutro passiuam (SIMONI in *Arcano form.* p. 419. **יָסַר**) deducunt, ac ii, qui verbalem ad optant significatum. Nec enim opus est permutatione punctorum, nec alias forma insolens est in **יָסַר**, **יָסַר**, **יָסַר** &c. SCHVLTENSIVS certe optime paraphrasi cinxit verba: *An multitudo penes Omnisufficientem euidetionis? An satis superque te conuicisse videor imbecillitatis: qui ne vnus quidem rei naturalis tibi propositae vim, indolem, agendi* *rationem, perspicias? Qui Deum in congressum euocasti, haec primum resoluas.* (quamquam enim indefinite in 3. pers. Deus Iocutus erat, Iobus ipse tamen clarissime et definite sibi applicat v. v. sqq.). *Qui se Deum illo in congressu redarguturum esse dicebat respondeat ad illud, quod in omnibus hisce quaestionibus positum, atque tunc demum de sanctitate et iustitia mea, aliisque materiis, infinitum quantum sublimioribus se mecum in disputationem immisceat. Comment. in Iob. ad h. l. T. II. pag. 1137.*

nibus sex liberandi pios et in septima non derelinquendi?)
An etiam irritum facies iudicium meum? (viam meam, in qua cum meis ambulo, meliorem constitues et nimis tenuem me esse dices? non seruando rationes acquitatis et iustitiae erga religiosissimum mei cultorem?) (*) *condem- nabis me vt iustus sis?* Melius sic cingi paraphrasi verba videntur, ac si ad futura transfers saecula. Vltimis his capitibus summam libri contineri strenue credo, cum ipsa Dei verba sint,

Nec Deus interfit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit. (**)

Ad haec referenda omnia, huc coniungenda et copulanda tota scriptio est, quae vero tantum abest, vt futura indicet saecula vt potius iustitiam Dei et potentiam omni humana superiore et sapientissime vbique constitutam celebret, eo- que argumento Iobo patienter ferre quae ipsi imposita sint onera, persuadeat. Quomodo vero interim notiones patientiae et potentiae supremae cohaereant: b. GELLERTVS doceat (**).

*Schau über dich, wer trägt der Himmel Ehre
Merk auf! wer spricht bis hieber zu dem Meere?
Ist er nicht auch dein Helfer und Berather
Ewig dein Vater?*

*Willst du so viel als der Allweise wissen?
Ietz weist du nicht warum du leiden müssen:
Allein du wirst, was seine Wege waren,
Nachmals erfahren.*

Verba etiam, quibus Dominus diabolum interrogauit, nulli scopo alii locum relinquunt: Cap. II, 3. *Advertissime animum tuum*

(*) vid. SCHULTHENSIVM
l. c. p. 1147.

(**) HORAT. Art. Poet. v.
191. 192.

(***) *Odis sacris* p. 157.

7

uum ad seruum meum Iobum, quod non sit par ei in terra, vir integer ac reclus, timens Deum et recedens a malo? ut adhuc retineat integritatem suam, postquam incitasti me ad perdendum quod eius est frustra? Quid retinere integritatem suam, *וְאֵת אֲשֶׁר עָשָׂה לְיָדָיו* vt LXX. שלימותו vt Targum habent, infert, nisi firmum in malis animum, roboratum, quietum et non concussum. Posito vero argumento de saeculo futuro, quomodo hoc quasi caput positum explicandum foret? Et quam absurda diaboli (alias acutissimi) responsio v. 5. *Mitte, quaeso, manum tuam et attinge ossa eius et carnem eius, nisi in faciem tibi valedicturus (*) sit?* Quare hoc opus fuit, si demonstrandum fuisset, pios in altera vita demum beatos euadere? Quare omnino opus fuit tanto prologo, de accusatione, direptione etc.? Qui sane non potest non in considerationem venire, postquam diuinae placuit prouidentiae libro cum adiungere, nisi forte praefracta mente diuinitatem eius negares; quod ne facias, nullo ex tota antiquitate testimonio existente, ve-

(*) בָּרַךְ hic vt alibi etiam e. g. Reg. XXI, 11. et 13. per antiphrasin dicitur, et Targum per *וְאֵת אֲשֶׁר עָשָׂה לְיָדָיו* (ad iram comouerunt) et per " גְּרַמַת קֹרֶם " (*blasphemasti*) explicat. Non stricte igitur amplexum Deorum alienorum per phrasin *בָּרַךְ אֱלֹהֵי אֲחֵרִים* putarem intelligendum esse, quamquam recessio a Deo omnino indigitetur; quasi dicat Diabolus; omnino animo incitato te increpabit, non amplius te sui curam habere, te huius vniuersi rectorem iustum et sapientem esse credet; explicandum amplius e. C. I. v. 22. Alias notionem an-

tiphrasticam e consuetudine principum orientis, quorum subditi abentes e conspectu eorum et quasi valedicentes illis, genua flectunt, vt de Turcis et aliis fide peregrinantium constat, ortum duxisse non absolum est; (fortassis inde celebris Syriae Christianis et Mogulis salutatio *Barec mor.* vid. HERBELOT *Bib. Orient.*). Sic certe, genua flexit, interdum idem est ac valedixit, abiit, recessit; forsitan Gen. XLVII, 10. *וַיִּבְרַךְ יוֹסֵף אֶת מִצְרָיִם* non de solo pio Patriarchae voto, sed de submissionis etiam demonstratione intelligendum putarem.



hementer intercederem. Dixisse iam arbitror, aliud libri totius, aliud metrici poematis seorsim spectati, argumentum esse; id tantum LOWTHI (*) verbis repetam; aliud plane disputationis inter Iobum et amicos, aliud vniuersi poematis esse argumentum: alium plane esse poematis, aliam vniuersae historiae finem. Nam quamquam is sit, quem dixi, finis, id argumentum poematis, nihilo tamen minus concedi potest, historiam vniuersam simul sumtam, proprie continere patientiae spectatae exemplar et praemium. Haec quoniam non satis definite distincteque a doctis tractata sunt, id ipsum non minime in causa esse existimo, cur in totam hanc quaestionem tanta inducta sit obscuritas. Attendendum vero hic et ad planas orationis partes est, quia alias non apparet, cuius gratia diuina eas addidisset sapientia, nisi vt totum quoddam Iobi liber constituat. Quid amplius vox vxoris Iobae nisi tessera eorum quae dixi: *Adhucne retines integritatem tuam? valedic Deo et mouere v. 9. (**)* Quid denique ipsa Iobi oratio v. 10. *Loqueris vt loqui solet aliqua stultarum; bonum acceperimus a Deo et malum non acciperemus?* Cap. XLII, 1-5. oratio concludens Iobi refertur, qua ipse profitetur, se nunc certissime nosse Iehouam omnia posse, neque cogitationem vllam ipsi absconditam esse. Stulte proinde se fecisse occultando et tenebrarum fasciis inuoluendo consilia eius absque scientia et solida eorum cognitione; paternam scil. manum Dei in tentando non semper ac per omnia pie agnoscentem, peccasse durioribus verbis in Iehouam. Nunc igitur se rogare, demisse se ea flagitare, quae alias c. XIII, 12. prouocante dolorum accerbitate dixerat, vt Deus, cum interroget, notum se faceret ipsi. Quae quidem verba, si patientiae notionem excluderes, plane non per omnia

(*) *de Poesi Sacra Ebraeorum* Edit. Goett. p. 661.

(**) Targum vt alias solet et hic de verbo Dei explicat. LXX.

vero notionem בָּרַךְ superius traditam confirmant: *עֲשׂוּן וְיִשְׁמַח*
נְגוֹס דְּעֵו.

— — — — —

omnia sibi constarent. Loquutus quidem Iobus erat, quae iustitiae Dei et prouidentiae non admodum conveniebant; grauiissimum tamen inter alia peccatum commiserat in maledictione diei sui natalis et impatientiae capacem se praebuerat, quod respiciendum hic esse nullus dubito, cum in priori responsione cap. XL. relata ea praesertim, quae contra Dei prouidentiam dixerat, lugeret, nunc vero omnium in vniuersum poenitentiam subiret. Omnia haec de scopo dicta sententia illa diuina, Iacobo interprete, cap. V, 11. confirmat: Ἰὼβ μακαρίζομεν τὰς ὑπομενοντάς τὴν ὑπομονὴν Ἰωβ ἠγάπατε, καὶ τὸ τέλος τὰ Κυρίου εἰδέτε, ὅτι πολυσπλαγχνὸς ἐστὶν ὁ Κύριος καὶ ἀκτιγμων. Audiuisse scilicet affirmat Apostolus patientiae exemplar, beatitudinemque patienter ferentium (*), percipiendo (**), ea, quae in Iobi historia relata legerint; quin etiam vidisse, perlecta eius historia exitum et finem afflictionum gloriosissimum, quem Deus ipsi dederit, siquidem ipse, quamquam interdum suos tentatione grauiori visiteret, abundet misericordia intima, semperque finem propositum ipsi esse, ut beati homines fiant. *De illo enim sine*, ut ait WOLFFIUS (***) *sermo est, quem Deus calamitatibus Iobi hinc destinauerit, hinc fecerit; ut scilicet, quod statim sequitur, misericordia Dei manifesta fieret.* Neque enim

(*) Syrus vocem graecam optime per tolerantiam s. persistentiam expressit, ὑπομονὴν proprie sustineo sc. aduersa. Vox Syrica מסיבנותה etiam Luc. VIII, 15. usurpatur, radix vero occurrit Matth. X, 22. eo sensu, ut alio non opus habeamus ad patientiae notionem condendam.

(**) De verbo ἀκτιγμων pro ἀναγνωσκων posito, iam Wolffius

in Curis Phil. ad h. l. ex Raphaelii lectionibus Polybianis et Herodoteis exempla adduxit, ut e. g. ἐπι τι δ' ἄν μαλλον συγγεαφενεῖ ἐπισησαι τὰς ἀκτιγμους, ut adeo non opus sit ad notionem τὰς ὑπομω Ebr. generatim percipere, a Syro adhibitam, recurrere.

(***) In Curis Philologicis ad h. l.

B



enim intuitu patientiae laudari potuisset Iobus, et exemplum ad alium reiiciendum locum fuisset, si scopus futurorum iudiciorum diuinorum patefactio esset; nec plane verba videndi et audiendi, omnem quo percipi poterat Iobi historia modum comprehendentia, adhiberi salua veritate potuissent. *Complectitur itaque, dicente SVRENHVSIO, (*) Apostolus hisce verbis totam Iobi historiam, quae Hebraeis erat nota, quando enim loci alicuius verba prolixiora sunt sensu, tum veteres Hebraeorum doctores vno alteroue vocabulo lectori inuestiganda relinquentes — Etenim posteriora Apostoli verba το τέλος Κυβης ειδετε, οτι πολλοπλαγγχος εις ο Κυβιος και οικτιρμων respiciunt in primis ad ea, quae traduntur in historia Iobi cap. XLII, 12. et sqq. — priora vero illa, την υπομονην Ιωβ ηκισατε ad ea quae traduntur cap. I, 21. 22. respiciunt.*

His assertis neutiquam ea audeo negare, quae de theatro iustitiae diuinae altero demum saeculo aperiendo in libro Iobi alii viderint. Concedam potius non solum cap. XIX. sed alias etiam fusc de eo agi. Sed neutiquam vt argumentum libri totius vbique neruos suos dispergit. Aliud plane cor est, venas per omnes humanae molis partes ducens et sanguine eas replens, aliud manus, aliud pes membrum. Quae si amputaueris, vitam nihilominus conferues; erue vero cor, et mortem subis. Rescinde cap. XIX. et Iobus patiens est, remoue vero patientiam, quid de toto Iobo vides? Si enim vel maxime sic Iobaeorum eloquiorum hypothesin constituendam putarem, nec tamen ipsa summam libri complectitur, nec omnino in vniuersum sic constituenda erat: *Sed nesciebat potius vir bonus, quum undique afflictionibus premeretur rationes occulti huius iudicii aut ordinis diuini, quo fieret, vt ipse aliique fidi ac pii serui Dei adeo duriter, ac velut improvide subinde adfigerentur;*

(*) In libro καταλλαγης ad h. l.

rentur; ex aduerso autem improbis omnia in hac vita saepe ex animi sententia succederent! quum potius ex ipsius mente piis parcendum esset, secundum IOH. HENR. MICHAELEM (*) locutus sum. Etsi vero, si humana cum diuinis licet componere, in Iliade Homeri non vnicus Achilles eximie pictus fulget; sed alii etiam pleno splendentes colore emicant principes; et in dramate fortassis non folius amoris afflicti dolor, sed et paternae mentis affectus, pietas filialis, reuerentia seruiilis depicta suis coloribus (**) apparent: falso tamen propterea aliud quaesiueris Iliadis, excepto Achille; aut dramatis, exceptis mollium animarum affectibus, thema.

Sit quoduis simplex dumtaxat et vnum poema (***), Omnis actio initium et finem habet. Vnitata ergo poematis ex occasione et euentu, e lineis ab vna ad alterum ductis, itemque e fine poetae diiudicari potest. Ilias ab initio vsque ad finem Achillem tenens, nimiam ipsi exhibitam a Ioue vindictam proponit, alia omnia, quaecunque demum sint, ad hanc efferendam picturam, in medium afferuntur. Liber Iobi ab antiquis diebus vsque ad nostrum aeuum poematum (****) numero continebatur.

B 2

Pulcri-

(*) l. c.

(**) Roga cel. WEISSIVM, quis fuerit scopus pulcerrimae tragoediae *Romeo und Iulie*? aut LESSINGIVM quis *Miss Sarae Sampson*?

(***) Praecipiente Horatio Art. Poet. Consentiente Aristotele, Vixerit etiam Iobus millenaria ante Horatium, nil refert; natura, et inde deductae artium regulae, semper eadem manent.

(****) Vid. quae doctissime de Poesi Iobea Lowthus et ill. Mi-

chaelis docuerunt. Lowthus in conferendo poemate cum Sophoclis, Oedipo totus versatur. Propius cum Prometheo vincto Aeschyli materiae intuitu conuenit. Prometheus cum ignem detulisset ad homines coelestem, Iouis iussu saxo vinculis ferreis adstringendus est. Nymphae venientes, consolantes, peccatum exprobrant. Oceanus etiam, Io vaga et Mercurius consolantur et consilium redeundi submitendo se in gratiam cum Ioue dant; sed con-

Pulcritudo eius agnita ab omnibus; pulcri semper conscium, et in ipsa barbarie non adeo barbarum, quin agnoscat vere pulcra, intellectum humanum fistit. Ponamus vero futuri saeculi thema. Nequid de primis capitibus dicam, medioque libro infertis quibusdam partibus, quomodo ad iustitiam diuinam futuro saeculo exercendam collimaret caput vltimum, de felici Iobaeorum perpeffionum exitu agens? Sine dubio beatitudo aeterna illic describitur. Neque enim aliam video scopo consonam interpretationem, et quia proprie non accipienda erunt, quae de bonis et pecore, filiis filiabusque memorantur, longe lateque impropria huc trahenda erit expositio, ac vix aptiorem inuenies ac ei similem, quam patres nonnulli de Psalmo octauo exponentes dederunt. Patientia vero pietate iuncta et incipit orationem, medioque filum constituens, tandem coronatur laetitiae praemio. Omnia quae adhuc dicuntur, quaeue Episodiorum instar immiscentur, flumine hoc abripiuntur. Liber Iobi incipit איש היה בארץ-עוץ איוב שמו וזה הוא וישר וירא אלהים וסר מרע vir, timens Deum per totam vitam et mala et secunda fortuna, quod si confers cum cap. II, 3. vt omnino oportet, non nisi fortunae aduersae patientiam, inconcussamque pietatem (siquidem nihil aliud patientia est) video. Patientia Iobi

stantiam ipse suam tuetur, vsque dum tempestate mota, ipso vel terra absorpto, vel turbine abducto, drama clauditur. Aeschylum vel ex Horatio discimus modicis instrasse pulpita tignis, docuisse

magnumque loqui, nitique
cothurno

Art. Poet. 278.

Sed nimiam euitans simplicitatem
in oppositum incidit vitium, Gran-

diloquentem, giganticamque effecit Tragoediam. Actiones seiungi ab eius dramatibus nequeunt, quin praestantissimas eum oportet habuisse machinas ad producendos effectus quibus Prometheus clauditur. Iobi liber tantum abest vt actionem requirat, vt potius eo ipso non iustum et perfectum esse drama colligi possit. Interim lineas ducere vtilitatem spondet.

Iobi probata, clauditur liber. Haec igitur scopum, haec vnum poema efficit et vniuersum librum. (*)

Laudent Philosophi alios patienter tolerantes, (**) in coelos eos euehant. Longe alia hic substrata patientia est, ac Stoicorum et maxime Senecae. Sapiens illorum *n'est formé que de paroles pompeuses & magnifiques & l'on voit dans leurs écrits, qu'il croient être vertueux & inspirer la vertu à tous les autres hommes; pourvu qu'ils en fassent un beau portrait*

virtutem verba putantes. (***)

Patientia hic descripta fidei est, patientia diuina, quae fidem adeo praestruit, Iac. I, 3. Hiob. XIX, 25. vt sine fide nulla plane patientia esset. Fidi tantum tolerant recte et semper patientiam colunt. Cum fide

incipit: dimidium facti est coepisse: superstit

Dimidium: rursus hac incipit et efficit.

Conscientia amplius bona

nil conscire sibi, nulla pallescere culpa

certaque, sibi ipsi non propria adduxisse culpa malum, si non adesset; vix ac ne vix quidem sedati a procellis animi

B 3

com-

(*) Sic nec materiae indicationem neglexit vir sanctus, quae tamen parum abest, alio constituto themate, quin plus promittat, ac praestatur. De vniuersitate interim Poematis vid. quae cl. Ramlerus ad Batteum notauit T. II. p. 23. Nec falso adduxi artis praecepta cum partim in natura fundata sint, observationes potius quam regulas exhibentia, partim, quibus abest vt tesseram adiciam, eo progressi sunt nonnulli, vt Iobi librum mo-

ralem appellauerint fictionem; regulis ergo, pace eorum dixerim, poematum huius generis diiudicandam.

(**) Exempla fucum prae se ferentia apud ESPRIT, loco mox adducendo, inuenies, vt Cato nis illius fastu turgentis, Posidonii, apud Ciceronem, arrogantiae pleni, aliorumque.

(***) vid. L'ESPRITS Fauffeté des vertus humaines Tom. II. Cap. XXI, p. 201. sqq.

compotes esse possemus 1 Tim. I, 19. Spem certam porro inuoluit auxilii Omnipotentis, suos nullo tempore relinquentis, Rom. V, 4. Cum denique patientia omnem aduersus sapientiae supernae vias murmurantem et obstrepentem ipsis animum respuat, amore Dei e contrario stabilitur, cum quo simul dilectio mortalium aedificatur, Col. III, 13. Hiob. XXX, 27. Denique non interruptam patientiam, sed eos tantum esse

felices ter et amplius

Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsos querimoniis.

ex Iac. I, 4. discimus et in Iobo videmus.

Sed redeamus vnde digressi sumus. Patientia fit scopus libri Iobi, generali totius Scripturae subordinandus. Iesum Christum salutis nostrae auctorem et gloriae diuinae illustrationem, pro eo agnoscit scriptura. Probatum dedere id alias veritatum theologiarum scriptores, vt absonum esset ea, quae dicta sunt, repetere. Negari nostris diebus videtur librum Iobi generali huic scopo subiicere. Quod igitur ad aliorum libro Iobi specialem constitutum scopum attinet, siue futurae vitae theatrum exhibeat, siue prouidentiae diuinae gloriam celebret, siue alio modo constituatur; Christum non plane excludi facili negotio constabit. Futura certe saecula, quorum beatitudine strenui in his terris Christi et Dei fruuntur cultores, propter Christum vnice donabuntur, qui solus ea nobis acquisiuit et morte sua ac passione viam illuc pandit, Eph. I, 3. 1 Petr. V, 10. Ioh. III, 16. Rom. VI, 23. Quanto magis licet, immo opus est, in tractanda qualicumque re ad causam eius principalem et meritariam, vt vocant, ascendere; tanto magis conveniebat Iobo, de beatitudine exantlatis harum terrarum miseris pios expectante memoranti, ad gloriae dominum cuius regimine et cuius arbitrio omnia parent et ordinantur ascendere, praemiaque piis non propter merita, sed gratia per Iesum parta donari, demonstrare. Contrarium adse-

adferere Romanorum foret placita sequi, non veritatis Paulinae defensorum. Veruntamen, alios vt taceam, CALMET (*) eundem libro scopum praefixit, et ipse ecclesiae romanae doctor, neutiquam negavit Messiae vestigium, quid? quod expresse dixit: *Il a parle du Redempteur du monde, l'esperance & le salut de tout les hommes, il a represente dans lui même, dans l'innocence de sa vie &c.* Vides ergo plane non alienum alios putasse, de iustitiae diuinae saeculis demum futuris exercitio scribentem de Christo agere. Sane vel eodem iure rogauerit quis de necessaria aut recta diuinae prouidentiae in libro Iobi laude, de Behemoth, Leuiathanis aliorumque commemoratione, de inuentione sapientiae non in terrenis sed in timore Dei quaerendae, de iustificatione ex mera gratia (vel maxime hoc vrgendum censeo, cum materies haec, exclusa satisfactoris notitia vix cogitari possit), de peccato originis aut de aliis immixtis tractationibus. Ego vero crediderim multo magis huic scopo opus fuisse doctrina de Christo, ac descriptione Behemoth, aliorumque prouidentiae diuinae speciminum etc. Quin si non alia dicenda restarent, proximis reseruata diebus, tela propria contra ipsos intenderem, qui aliena tuentur. Maxime si Moses auctorem libri ferunt (***) quo indignum fuisset Messiam silentio praetermittere, qui toties alias de ipso testatus erat, vt plane nesciam, quorsum nouiter Moses Messiae praeco quibusdam inuisus euadere potuerit. (***) Nec absolum erit in tractatione de vita futura Messiae mentionem iniicere, cum ne absolum

(*) Praeface sur le livre de Iob p. 606. Comment. in Biblia T. III.

(**) Quibus vir omni laude superior ill. Iob. Dau. Michaelis in praefatione ad Iobi versionem vernaculam adstipulatur.

(***) cl. SCHVLZE nouissime in der Einleitung in das Studium und Kenntnus des N. T. aus dem Englischen des Herrn Harwood's übersetzt, talia statuit.

num quidem fit in tractando prouidentiae diuinae argu-
 mento, Christi memorem esse et deitatem eius ac satisfac-
 tionis beneficia recolere. Qua enim Deus est (Iobi scil.
 tempore persona *αγαθος* erat) et ipse prouide de nobis
 occupatur, qua vero satisfactor, egregium, quin maximum
 prouidentiae diuinae erga nos documentum exstat. Vix
 ac ne vix quidem prouidentiae nuda et systematica enar-
 ratio sine saluatoris Dei propositione plene institui potest;
 quanto minus, non dicam debet, sed potest, si poetice
 eam depingat, Christum obliuisci, prouidentiae scriptor?
 Sane vel idem (liceat collatione uti) accidit Virgilio cum
 Didone. Non necessaria, sed viuidius reddens poema pi-
 ctura erat. Alia res ageretur, si Christus scopus specialis
 constituatur Iobi, et omnia in eum contorto collo
 referantur verba.



Fd 3348

ULB Halle

002 500 558



3

sb.

ant.







Farbkarte #13

B.I.G.

6

ATIO PHILOLOGICA
DE

ATIENTIAM
VM PRAEDICANTE

QVAM
VSPICIIS DIVINIS
MIAE MAGNIFICENTISSIMO
D PRINCIPE AC DOMINO
D M I N O
NO FRIDERICO
ALEXANDRO
NBVRGICO BORVSSIAE SILESIAEQVE
AVIO NORIMBERGENSI VTRIVSQVE
CIPATVS REL. REL.

TIENTE AMPLISSIMO
OPHORVM ORDINE
NTER EOS OBTINENDO
BLICE PROPONIT
IDERICVS PFEIFFER
A. D. BIBLIOTH. ACAD. CVSTOS.

RLANGAE
WALTHERIANIS.